Verùm apud Lacedæmonios proditionis reus cauſam dicere A coactus eſt. Reſpondit ſe non Lacedæmonium, ſed Byzantium eſſe: igitur civitatis ſuæ quæ periclitabatur ſe magis cõſulere debuiſſe, quàm vrbi Lacedæmoniũ, quæ in pacato tutoque eſſet, quã neq; obſideret hoſtis, neque ita muro & foſſa circundediſſet, vt auxilij externi nulla ſpes relinqueretur. Byzantios in ea cauſa fuiſſe, commeatuum omnium ſummam penuriam habuiſſe: aut ſi quid tantilli fuerit, hoc univerſum præſidio Lacedæmoniorum ac Bœotorum dividi conſueuiſſe: dum interim Byzantij, vxores eorum ac liberi, fame, ſiti, miſeriaque omnes interirent. Ideò ſalutem vrbis ſuæ prodidiſſe non videri: quinimo à clade & certo interitu liberaſſe. Denique minimè conveniens eſſe, id ſi non glorioſum, at Bizantiis vtiliſſimum à Lacedæmoniis reprehendi, quibus perpetuò potior fuit vtilitatis, quàm honeſtatis ratio. Placuit igitur Anaxilaum eo iudicio liberari. *P. Ærodius ex Xenophontis rerum Græcarum lib. 1. & Plut. in Alcibiade.*

TYRANNOS OPPRIMERE.

Conſule Tit. Prudentiæ in opprimenda tyrannide. Item Tit. Tyrannicidarum. Illis Prudentiæ & Fortitudinis: hîc Fidei in patriam ratio habetur.

B Aiothus Æglonem Moabitarum regem ſolus adortus non eſſet, niſi patria illi fuiſſet charior vita: edidit itaque cædem tam inſignem, quàm ad libertatem vindicandam vtilem. Virtus hominis, fiducia ingens, ſed pietas multò fortior id facinus peregit. *Sab. l. 8. c. 1.*

Timocrates Cyrenenſium tyrannus, cum aliis multis magniſque calamitatibus ciues afflixit: tum ſacerdo e Apollinis Melanippo ſua manu interfecto, vxorem eius Aretaphilam egregia facie præditam duxit. Illa pro patria, maritoque ſuo pœnas à tyranno repetere conabatur. Primùm igitur per venena inſidias ſtruxit. Tyrannus Aretaphilam comprehendere iuſſit. Quæ longis acerbiſque tormentis examinata, fortiſſimè reſtitit, neq; aliud quicquam niſi de philtro confeſſa eſt. Tyrannus quaſi nullius iniuriæ reã abſoluit, eamq; in matrimonio habuit, & maiori ſtudio ac benevolentia proſequebatur, quaſi iniuſtè tortam & examinatam. Illa cum filiam haberet ætate & forma præſtantiſſimam, eam ſummiſit fratri tyranni,
C adoleſcenti Leandro. Qui eius amore captus, rogat tyrannum vt ſibi eam ducere liceat. Quo impetrato, duxit: & matri puellæ morem gerens, inducitur ab ea vindicandam civitatis libertatem. Qui cubiculariũ tyranni muneribus corrupit, eiuſque opera Timocratem medio ſuſtulit. *Polyæn. l. 8.*

Learchus Cyrenenſium Rex declaratus, vt Batto Arceſilai filio imperium ſeruaret, pro rege tyrannus enaſit, omni ſcelere vſus in ſuos ciues. Battus autem ex Eryxo natus erat, fœmina modeſta, omniumque iuſtiſſima. Hanc amans Learchus, in matrimonium petebat. Illa cum fratribus ſuis eum colloqui iuſſit. Quibus dedita opera cunctantibus miſit Eryxo famulam nunciantem, iam quidem fratres contradicere: at ſi colloquium haberetur, fore vt hoc fratres concederent. Tyrannus conditionem ſuſcipit, & per noctem abſque ſatellitibus ad Eryxo venit: & in domicilium quoddam ingreſſus, incidit in Polyarchum maximũ natu inter Eryxûs fratres, qui intus in inſidiis latebant, duoſque, adoleſcentes enſibus armatos habentem, à quibus confoſſus obiit. Illi Battum productum regem deſignarunt, & Cyrenenſibus auitam Reipubl. gerendæ rationem reſtituerunt. *Ibid.*

D Theraſybulus, cùm Athenienſium vrbem triginta tyrannorum à Spartanis impoſitorum teterrima dominatione liberare cuperet, paruaque manu maximæ rei molem aggrederetur, & quidam è conſciis dixiſſet. Quantas tandem tibi Athenæ per te libertatem conſecutæ gratias debebunt? reſpondit: Dij faciant, vt quantas ipſe illis debeo, retuliſſe. Quem affectum inclytum deſtructæ tyrannidis opus laude cumulauit. *Val. Max. l. 5 c. 6. & Platina l. 1. de Optimo ciue.*

Corinthius Timoleon in fratrem, poſtquam neque monitis neque precibus, vt deponeret dominatum, efficere potuit, conſpirauit cum eius percuſſoribus. *Plut. in Præceptis polit.*

Poſt Cleonis tyranni Sicyoniorum mortem, tam effrænata civitatis principes inceſſit dominãdi cupiditas, vt eorum duo eodem tempore tyrannidem invaſerint, Euthydemus, Timoclidas. Quibus eiectis, populus ſummæ rerum Cliniam Arati patrem præfecit. Verùm non multis poſt annis, cùm Clinias è vita iam exceſſiſſet ad tyrannidem acceſſit Abantidas. Quo dominante Aratus, vel quòd ab eo eiectus fuerit, vel quòd volũtate ſua ceſſerit, in exilium abiit. Ipſum certè Abantidan ciues trucidarunt. Dominatum tamen eius pater Paſeas occupauit, quem mox cùm Nicocles ſuſtuliſſet, ipſe ſibi tyranni-E dem vindicauit. Hunc Aratus comparata exulum & Argiuorũ conductitiorũ militũ manu pellere adortus, cùm ad muros nocte acceſſiſſet, præſidium partim feſellit, partim vi ſuperauit. Atq; ita oppido potitus, aſſumpta plebe ſumma cũ celeritate tyranni domum accurrit, quam non magno negotio cepit, ſed Nicocles furtim eſt elapſus. Tum Aratus civitatis liberam adminiſtrationem Sicioniis tradidit. Domos & prædia, quæ diuendita fuerant, emptoribus precio diſſoluto exulibus cùm reddidiſſet, diſſidiorum & controverſiarum cauſa concordia conſtituta ſuſtulit. *Pauſ in Corinthiacis.*

Quòd Iulium Cæſar Brutus & Caſſius interfecerint, in Senatu primùm tum, cùm omnium antecedentium malorum & iniuriarum obliuionem M. Cicero perſuaſit, iure eos feciſſe pronunciatum eſt: nam honores ex ſua volũtate præſtabat, qui à populo antea ferebantur: nec Senatui ad ſe venienti aſſurgebat: aliaque regia ac pene tyrannica faciebat. Iidem poſtea, Octauij, Antonij, Lepidi coniuratione facta, Brutus à Corni-F ficio, ab Agrippa Caſſius repetiti & accuſati, damnati ſunt abſentes igni & aqua interdictum eſt, & bona eorum publicata. Sed in hoc poſtremo iudicio, liberas ſententias Iudices non habuiſſe, certum eſt: pleroſque potius metu, aut fauore, ſtudioue Cæſaris impulſos, quàm ex animi ſui ſententia iudicaſſe, argumẽto eſt Iulius Coronas Senator: qui quòd M. Brutum ſolus apertè ſuo calculo abſoluiſſet, ideò poſtea proſcriptus eſt. Sed an omnino iure Cæſar ſit occiſus, ſi quæratur, deciſũ eſſe arbitror ab Athenienſibus; quibus nihil erat cur non religiosè iudicarent. Nam cùm Brutus & Caſſius Athenas adveniſſent, magnificentiſſimè accepti ſunt, æreiſque ſtatuis cõmuni decreto ob tyrannicidiũ donati ſunt, iuxtaq; Harmodiũ ac Ariſtogitonẽ egregij pariter nõ facti, ſed cõſilij conatuſq; duntaxat auctores, Plebs nominatim poni iuſſit. Videtur & P. Scipio Africanus huic quæſtioni præiudiciũ attuliſſe, Nã quõdã interrogatus à Carbone Tribuno pleb. Quid de T. Gracchi cæde ſentiret: reſpondit: Si is occupãdæ Reip. animũ habuiſſet, iure cæſum. Certè Iulium Cæſ. Remp. occupaſſe negare non poſſumus. Iam & qui à propinquis ſuis damnatus eſt, nũ iure cæſus dici poteſt? Atqui Piſo, Cæſaris ſocer, & L. Cæſar pro-G pinquus cenſuerunt eũ defuncti etiã hominis honore carere oportere. Dolabella Conſ. columnã in foro, id eſt, titulum eius evertit, ac forum expiauit. Ergo iure quidẽ interfectus eſt: ſed non vtiliter pro Reip. Romanæ temporibus. *P. Ærodius ex Cicerone pro Milone: Plut. in Bruto: Appiano, lib. 4. Bellorum ciuilium Velleio, Paterculo Dione Nicæo lib. 46. & 47.*

C. Caligulam Imp. Caſſius Chærea Tribus militum, cùm Annio Minuciano, Æmilio Regulo Cordubenſi, & aliis coniuratis, vltimo die Circenſium ludorum, in palatium per cryptam quandam redeuntẽ multis vulneribus confodit, libertatis publicæ deſiderio, ſimul etiam priuatis iniuriis accenſus: quoniam Caius mollitiem ei exprobrauerat, & teſſeram petenti, femineum aliquod ac probroſum dabat vocabulum, propter quod à militibus Chatæa irridebatur *Ioſephus libro 19. c. 1.*

PESTILENTIAM AVERTERE.

Cùm Illyriam & Pæoniam peſtis è ſuperioribus Barbaris inuaſiſſet, reges Illyriorum maximis munerib. Hippocratem Coum medicum à Theſſalia euocarunt. Ipſe verò cùm conſtitutionem aëris à legatis didiciſſet, & peſtilentiæ modum, neq; ſibi eò proficiſci licere dixiſſet, vti Græciã ab eo morbi ge-H nere præſeruaret: Theſſalis remedia, quibus vterentur in ſingulis civitatibus præſcripſit: Theſſalum filium in Macedoniã & Peloponneſum miſit, Draconem filium in Helleſpontum, Polybium verò generum & diſcipulos alios in alias Græciæ vrbes. Ipſe circumcirca profectus Delphis ſacrum fecit pro Græciæ ſalute, Bœotiam purgauit, Athenas conſeruauit. Eapropter ab Athenienſibus magnis initiatus fuit myſteriis cum filio Theſſalo, & aurea corona publicè donatus. *Theſſal. in legat.*

HOSTEM PROFLIGARE.

Ex Tit. Ducum fortium, huc multa.

Teleſilla Poëtria Argiua, cum Cleomenes Lacedæmoniorum Rex Anaxandrinæ F. Argiuorũ præſtantiſſimos maxima clade affeciſſet, & iam ad Argos oppugnandũ copias duceret: confeſtim ad murorũ præſidia ſeruitiis & iis omnibus qui per ætatem arma ferre non poſſent amandatis, è domibus & templis arma refixit, iiſque fœminas obarmauit, & in eum locum eduxit, quâ ad oppidum Lacedæmonios acceſſuros exploratũ habe